



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

119. Manco manum aridam Christus restituit.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

Mancus.

MEDITATIO CXIX.

*Manco manum aridam Christus
restituit.*

I. **F**Actum est & in alio sabbato, ut intraret in synagogam, & doceret. *Luc. 6. v. 6.* Et ecce homo, manum habens aridam, *Matth. 12. v. 10.* erat ibi. *Marc. 3. v. 1.* Manus ejus dextra erat arida. Observabant autem Scribæ, & Pharisei, si in sabbato curaret: *Luc. 6. v. 6. & 7.* & interrogabant eum, dicentes: Si licet sabbatis curare? *Matth. 12. v. 10.* ut invenirent, unde accusarent eum. *Luc. 6. v. 7.*

II. Ipse verò sciebat cogitationes eorum: & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & sta in medium. Et surgens, stetit. Ait autem ad illos Iesus: Interrogo vos, si licet sabbatis benefacere, an malè? animam salvam facere, an perdere? *Luc. 6. v. 8. & 9.* At illi tacebant. *Marc. 3. v. 4.* Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nonne tenebit & levabit eam? Quanto magis melior est homo ove? Itaque

que licet sabbatis benefacere. *Matth. 12.*
v. 11. & 12.

III. Et circumspiciens eos cum ira, con-
 tristatus super cæcitate cordis eorum, dicit
 homini: Extende manum tuam. *Marc. 3.*
v. 5. Et extendit: & restituta est manus
 ejus *Luc. 6. v. 10.* sanitati sicut altera. *Matth.*
thæi 12. v. 13.

IV. Ipsi autem repleti sunt insipientiâ,
 & colloquebantur ad invicem, quidnam fa-
 cerent IESU. *Luc. 6. v. 11.*

Morbidus.

MEDITATIO CXX.

Morbidus per 38. annos sabbato
curatur.

I. ERat quidam homo ibi, (*ad Probatiam*,
Episcinam) triginta & octo annos ha-
 bens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset
 Iesus jacentem, & cognovisset, quia jam
 multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus
 fieri? *Ioan. 5. v. 5. & 6.*

II. Respondit ei languidus: Domine,
 hominem non habeo, ut, cum turbata fue-
 rit aqua, mittat me in piscinam: dum venio
 enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei